



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Schefferi Argentoratensis De Re Vehiculari Veterum Libri Duo

Scheffer, Johannes

Francofurti, 1671

Cap. V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13156

Per diminutionem.) Hoc nemo demonstraverit. *Quodlibet Duabus rotis.*) Imò quatuor, quod jam docui. (per se est.

Cap. V.

Pro carpento.) Hoc verò nusquam legi haecenus.

Quae instituuntur oblectationis gratia.) Etiam hoc est falsum. Non ad oblectationes pertinebant, verum sacra.

Qui dicti sunt Armamaxi.) Putavit, aurigarum esse hoc vocabulum. Et repetit inferius, cap. 23. At nulli apud veteres armamaxi, verum harmamaxæ, Græcis ἀρμάμαξαι, nec homines, sed vehicula. Neq; aliud Tertullianus voluit, quod alibi ostendi.

Cap. VI.

Biroton.) Docet & hic locus, Græcarum litterarum imperitiorum Ligorium fuisse. Nam birotum non est Græcum, verū βύτρονον.

Bigæ, quadrigæ.) Nunquam hæc vehicula birota nuncupata. Birotum enim ad portanda onera spectabat, non sic bigæ quadrigæve.

Deipanetta.) Quid hoc sit vocabuli, fateor me ignorare.

Duodecim aliquando.) Hoc verò frustra dicitur, nec ex ullo veterum probari poterit vel verbulo.

Cap. VII.

Burdonum.) Falsissimum hoc est. Burdones equi fuerunt, vel muli, quod prolixè nobis etiam post alios est demonstratum.

Cap. VIII.

Camulon.) Etiam hoc falsum. Camulon nihili est vocabulum, & ignotum Græcis pariter ac Latinis. Chamulcum habes apud Ammianum, sed pro alio prorsus genere.

Sicut apud Græcos camula dicitur herba.) Camulam herbam nullam scio. Chamælæam reperio, sed eanil hue facit. Alias est χαμηλὸς quibusdam, quod Latinis *humilis*. An hoc respexerit, ignoro.

Cap. IX.

Vehiculi, hoc est, carri.) Imò verò equi, muli, asini, vel hominis, quod ostendi capite de clitellis.

Seētabere canthum.) Liqvet, *canthum* & *cantherium* habuisse pro eodem, quod haud magnam eruditionem arguit.

Covinus pars currus.) Imò integrum, suiq; generis vehiculum, quod ipse in sequentibus fatetur. *Secunda-*